

DE
PLATONIS ALTERO RERUM PRINCIPIO

qui conseruare possunt. Nam etiam ratione, quae est de re cognoscere idem, nihil aliud est nisi ratione, in eorum locis hinc de Platonicis altero rerum principio disputationem substituere.

Hinc sit ex verbo, quod in libro de Republica, capitulo 10, tunc rerum materiarum, quam Socratis agit, SCRIPSIT

Quia, qui secundum suam sententiam, quae dicitur, Plato, non existet nobis proportionis, rationis, hoc ut illa proportionis possit, breviter expatet et dissipato modo, quod fuit, quod dicit ad eius operum studiandam impetrare.

Causa vero hanc **Dr. A. HUNDERT.** in multis, quod dicit, ratione, non est separata; sed hinc sunt, quae adiectiles, quae eruntur ex perenni, sicut et rati et rationes. Atque sunt haec, quae sensu rationi, hanc ob causam, quae ad ceterum exemplum, utique similitudinem sunt expressiones, orationes. Hoc vero quidem non est, hinc quae primum, quod scimus, hanc ob causam, ad illa translatio, proprietas quae in ipsa non esse potest, ut illa, quae est, non modo diversas, sed hinc contrarias rationes, ideas vero rationes non esse contrarias, quoniam inter se differentia sive non rationes sive alias hanc ob causam, illas rationes, quod designat illud Non omnes significant contrarias opiniones, non rationes, non diversas.

Quae igitur ita sint, hanc questionem, quid, ob causam, typis, hinc mundus integrum significat exemplum alterum, per quod difficulter omnino nescire posset Plato, si sola in ratione habuerae non esset rationes, quae non esse, sed etiam non esse dicere affirmat, non negantur, utroque quae exterum, et objectiva realitate, ut loguntur, essent deaffitae. Eiusmodi ideas supponit, ut in

22

ПРИЧИНА ПРИЧИНОВАНИЯ

11/11/12

ЛНБ/ГЦ/Д

С



monitione inservit manuam suam semper conseruare hanc autem ut in operibus
institutis etiam in aliis quae in libro eiusdem continetur. Nam etiam catalogus
etiamque omnis eiusdem operis in libro eiusdem continetur. Nam etiamque
omnis eiusdem operis in libro eiusdem continetur. Nam etiamque omnis eiusdem
operis in libro eiusdem continetur. Nam etiamque omnis eiusdem operis in libro eiusdem
continetur. Nam etiamque omnis eiusdem operis in libro eiusdem continetur.

Quo tempore certior factus sum, mihi obeundum esse munus dissertationis
hujus conscribendae, defixus eram in libro Hofmanni, qui inscribitur „Schriftbeweis“
perscrutando eaque, quae in eo de bonis angelis inveneram, me incitarunt ad illam
rem accuratius pertractandam. Multae vero obstabant causae, quominus quae hac
de re congesseram ederem, atque me cogebant, in eorum locum hanc de Platonis
altero rerum principio disputationem substituere.

Plato etsi *vix* verbo, quod Aristoteli debemus, nunquam utitur, tamen rerum
materiae, quam Stagirites significat, notionem non nescit. Quam quo modo accipi
velit Plato, cum explicare nobis proposuerimus, negotium hoc ut rite procedere
possit, breviter enarrare et illustrare nobis liceat, quid fuerit, quod illum ad eam
omnino statuendam impulerit.

Causa vero haec erat. Secundum Platonem ideae, quae omnis vicissitudinis
sint expertes, re vera sunt, res adspectabiles, quae oriantur et pereant, simul et
sunt et non sunt. Atque sunt res, quae sensum movent, hanc ob causam, quod ad
idearum exemplum atque similitudinem sunt expressae et conformatae. Quod vero
caudem non sunt, haec qua premuntur inopia minime referri potest ad illa exemplaria,
propterea quod si res non esse dicuntur, id eas significat prae se ferre non modo
diversas, sed [plane contrarias rationes, ideae vero eatenus non esse contenduntur,
quatenus inter se differunt atque aliae non eandem atque aliae indolem habent atque
naturam, quod denique illud Non-esse significat contrarium quiddam, hoc tantummodo
diversum.

Quae quum ita sint, hanc quaestionem, quid impediat, quominus hicce
mundus integrum excipiat exemplum aeternum, perquam difficilem omnino subterfugere
potuit Plato, si sola in ratione humana res sensus ferentes, quas non modo esse
sed etiam non esse diserte affirmat, sitas censisset, quippe quae externa sive
objectiva realitate, ut loquuntur, essent destitutae. Etenim ideae quamvis in se

spectatae vi et natura sua sibi semper constant neque unquam subeant mutationem, tamen ad se invicem relatae tales sunt, ut in una eademque praeter summam boni ideam, quae ceteras omnes dignitate et praestantia sua superat longissime, variae eaque inter ipsas diversae rationes copulari possint ac discerni. Quas animo cum cerneremus nimis oblii, per se consideratas ideas, quamvis retinentes illam relationis vim, nunquam desciscere a propria facultate, accidere posset, ut tamquam falsa specie delusi opinaremur ejus modi rerum naturam, in qua idearum inter se commixtarum propria vis adeo esset sublata, ut ipsae et esse et non esse putandae essent eoque adduceremur, ut animo fingeremus, quem cernere nobis videremur, mundum. Qua argumentandi ratione, quae philosophi cujusdam recentioris aetatis haud absimilis esset, si Plato, id quod Ritterus¹⁾ alii statuerunt, esset usus, studuisse ex idearum aut copulatione aut discretione atque ex ratione, qua hanc cohaesionem aut disjunctionem mente cognosceremus, repetere incertam opinationem atque ex hac patetfacere originem eorum, quae sensum movent et in opinione considunt.

Verum non tam re ipsa quam mero arbitrio et praejudicata opinione sic statuitur. Plato enim hanc quam diximus viam declarandae ex nostra cognoscendi percipiendique ratione rerum corporearum naturae neque ingredi potuit, si quidem hic idealismus quem vocant mirum quantum abhorret ab omni ipsius cogitandi sentiendique ratione, et re vera ingressus est viam plane contrariam, quum ubivis sensum perceptionem deducat a natura eorum, quae sensibus sunt subjecta, neque ideas, nisi quod, quae de ipsis sensuum ope judicare nobis videmur, in ipsarum absolutam naturam temere transferamus, inter se commisceri censeat.

At quaestionem de omnium rerum defectu ut evitaret Plato, alterum quo uti poterat perfugium reliquum erat id, ut res corporeas, quae quidem veritate externa sane non carerent, aut ex nihilo creatas aut ex summa boni idea promanando exortas judicaret.

Primum vero rerum ex nihilo creatarum sententia quum reliquis philosophis Graecis ignota fuit tum Platoni. Accedit quod mundi creatio neque fieri potest neque cogitari nisi deum tamquam personam statuas, qui quum per omnem aeternitatem potuerit subsistere tamquam numen perfectissimum et sine mundo sibi ipsi sufficientissimum, tamen voluerit virtutum suarum exhibere quasi documentum aliquod. Platonem autem deum, quem vere deum nomines, aut certe statuisse aut omnino

1) cf. hist. phil. P. II. pg. 327 sqq.

cognitum habuisse, id si non veri prorsus dissimile at tamen maxime dubium videtur. Deinde quod promanasse ex summa boni idea res ipsas statuerit Plato, ita ut quo quid magis ab illa desciverit, eo sit deterius, ea de re dialogi ejus tam constanter conticent, ut omnium rerum ut ita dicam egestatis causam hoc modo explicare, id esset ei obtrudere inferioris aetatis opinionem scilicet Neo-Platonicam.

Quodsi ejusmodi argumentationes scripta Platonis exhibent nullas, discrimen vero rerum, quas aut oculis spectamus aut mente intelligimus, nullo modo, uti jam supra vidimus, ex idearum natura explicari potest, nihil supererat, quam ut rerum principium alterum auxilio vocaret Plato.

Cap. I.

Quod rerum principium alterum quale sit, omni modo investigaturi penitusque cognituri disputationis viam ac rationem sic instituemus, ut dialogos, qui Philebi et Timaei nomine inscrubuntur, utpote hujus doctrinae fundamenta, oculis perlustrantes primum, quid ipse Plato de ea re dixerit, quanta maxima fieri potest cum diligentia conquiramus.

Et in illo Platonis scripto modo tres modo quattuor eorum quae sunt species enumerantur, primum τὸ ἀπειρον vel η ἀπειρια¹⁾, deinde τὸ πέριον²⁾, ad quod alterum genus, quicquid certa aliqua forma est praeditum et qualitate eandemque etiam aliis rebus illa parentibus impertit, referri est consentaneum. Accedit tertia species, quam vocat³⁾ τὸ εξ ἀρχῶν τούτων ἐν τι ξυμμασγόμενον sive⁴⁾ τὸ τούτων ἔκγονον sive⁵⁾ μητήρ καὶ γενέτην σύσικον sive⁶⁾ τὸ κατεύθυντον, quibus vocabulis nihil aliud significari appetet, quam id ipsum, quod ex infinito efficitur accidente finito, hanc videlicet, quam cernimus, rerum universitatem. Atque quum, quicquid gignitur, necesse sit ex causa aliqua, ejus quasi effectrice, gignatur, Plato quartam speciem esse vult τὸς ξυμμιξεῖσας τούτων πρὸς ἄλληλα τὴν αἵτια⁷⁾ sive τὸς τὰς μητέρας αἵτια καὶ γενέτεως⁸⁾ sive simpliciter τὸ τὰς αἵτιας γένος⁹⁾). Atque haec pro numine divino vel pro summa idea est habenda. Sed τὸ ἀπειρον illud, quo rerum materiam aliquam significari atque proponi et per se perspicuum esse videtur atque manifestum omnibus et consensus eorum, quicunque hac de re scripserunt, testatur, Plato accuratius ita exponit, ut sit id¹⁰⁾ quod in se recipiat

1) cf. pg. 16 c. 23 c. 26 c. 27 b. 30 a. — 2) cf. ibid. — 3) cf. pg. 23 c. — 4) cf. pg. 26 d. — 5) cf. pg. 27 b
6) cf. pg. 30 a. — 7) cf. pg. 23 d. — 8) cf. pg. 27 b. — 9) cf. pg. 30 a. — 10) cf. pg. 24 sq.

— 4 —

τὸ δερμότερον καὶ Υγρότερον, τὸ ξηρότερον καὶ άγριότερον, τὸ πλέον καὶ ἔλαττον, τὸ δάκτον καὶ βρωδύτερον, τὸ μείζον καὶ σμικρότερον sive id, quod admittat τὸ σφόδρα καὶ ηρίμα καὶ τὸ λιαν. Atque ex his, quae a Platone tribuuntur huic τοῦ ἀπείρου principio, siisque plane inter se oppositis et contrariis facile perspicitur, agere nostrum philosophum de eo, quod certo careat modo et ratione omnemque graduum aspernetur mensuram sive in quo cernatur perpetua, ut ita dicam, qualitatis aut quantitatis vicissitudine.

Jam vero ad Timaeum dialogum, unde haec de materia doctrina plus etiam quam ex Philebo lucis accipiat, tamquam ad alterum fontem accedamus. Plato enim postquam ad τὸ ὄν ἀεὶ, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, νοήσαι μετὰ λόγου περιληπτόν, διὰ κατὰ ταῦτα ὅν¹⁾ seu ad ideas adjicit τὸ γεγόμενον μὲν ἀεὶ, ὃν δὲ οὐδέποτε, διότι μετ' αἰσθήσεως ἀλόγου δοξαστόν, γεγόμενον καὶ ἀπολλύμενον, ὄντως δὲ οὐδέποτε ὅν²⁾ h. e. res, quae sensum movent, de mundi hujus generatione verba facturus tertiae rerum speciei mentionem facit hisce verbis³⁾: βουληθεῖς γάρ ὁ θεὸς ἀγαθὰ μὲν πάντα, φλυκθόν δὲ μηδὲν εἶναι καὶ δύναμιν, οὗτοι δὴ πᾶν ὅσον ἡν̄ ὄρατὸν παραλαβῶν οὐχ ἡσυχίαν ἀγον ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸν ἡγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας, ἡγησάμενος ἐκεῖνο τούτου πάντως ἀμεινον. Atque eodem pertinent, quae paullo inferius⁴⁾ sequuntur: διετέπεχερέτο κοσμεῖσθαι τὸ πᾶν, πῦρ πρῶτον καὶ ὕδωρ καὶ γῆν καὶ ἀέρα, ἵχνη μὲν ἔχοντα αὐτῶν ἀττά, παντάπασιγε μὴν διακείμενα ὡςπερ εἰκὼς ἔχειν ἀπαν, οἵτινας ἀπῆ τενος θεός, οὗτοι δὴ τότε πεφυκότα ταῦτα πρῶτον διεσχηματίστο εἰδεστὶ τε καὶ ἀριθμοῖς. Neque minus hue referenda mihi videntur verba⁵⁾: ταῦτα ἀτάκτως ἔχοντα ὁ θεὸς ἐν ἐκάστῳ τε αὐτῷ πρὸς αὐτὸν καὶ πρὸς ἀλληλα συμμετρίας ἐνεποίεσεν, δος τε καὶ ὅπῃ δυνατὸν ἡν̄ ἀνάλογα καὶ σύμμετρα εἶναι. Atque hanc tertiam rerum naturam, qua non minus quam τῷ ἀπείρῳ illo Philebi corporum materiam esse positam nemo erit quin concedat, primum quidem accuratius definire Plato omittit et ad dei optimi, qui omnia regat, gubernet, moderetur, potentiam et sapientiam exponendam digreditur⁶⁾.

Verum re accuratius pensitata causis adjvantibus deum esse usum subinde sentit⁷⁾: ταῦτ' οὖν πάντα ἔστι τῶν ξυνατίων, οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται τὴν τοῦ ἀρίστου κατὰ τὸ δυνατόν ιδέαν ἀποτελῶν. Atque in eandem sententiam dicta sunt, quae de causis servientibus paullo inferius legimus⁸⁾: ταῦτα δὴ πάντα τότε ταῦτη πεφυκότα εἴη ἀνάγκης ὁ τοῦ καλλιστού τε καὶ ἀρίστου δημιουργὸς ἐν τοῖς γεγονότοις παρελάμβανεν, ἡνίκα τὸν αὐτάρκη τε καὶ τὸν τελεώτατον θεόν ἔγεννα, χρώμενος μὲν ταῖς περὶ ταῦτα αἰτίαις ὑπηρετοῦσαις, τὸ δὲ εὑτεταυνόμενος ἐν πᾶσι τοῖς γεγονότοις αὐτός. Quibus cum placitis componere licet, quod etiam, quae necessitate facta sint, in disceptationem esse vocanda Plato censem⁹⁾:

1) cf. pg. 27d. sq. — 2) cf. ibid. — 3) cf. pg. 30a. — 4) cf. pg. 53b. — 5) cf. pg. 69b. —
6) cf. pg. 30a. sq. — 7) cf. pg. 46c. — 8) cf. pg. 68e. — 9) cf. pg. 47e. sq.

δει ὅτι και τὰ δι' ἀνάγκης γιγνόμενα τῷ λόγῳ παραδέσθαι, μεμημένη γὰρ οὖν ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ νοῦ συστάσεως ἐγεννᾶτη, etsi¹⁾ νοῦ ἀνάγκης ἀρχοντος τῷ πεῖθεν αὐτὴν τῶν γιγνομένων τὰ πλείστα ἐπὶ τῷ βελτιστὸν ἄγειν vel²⁾ ὅπῃ περ ἡ τῆς ἀνάγκης ἐκουσα πεισθεῖσά τε φύσις ὑπεῖκε, haec ratione initio constructum est hoc universum³⁾. Et eodem modo accipienda sunt haec⁴⁾: διὸ δὴ χρὴ δύ' αἰτίας εἰδη διορίζεσθαι, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τὸ δὲ θεῖον. Neque minus huc spectat, quod dicit⁴⁾, ei, qui intelligentiae sapientiaeque se amatorem profiteatur, conquirendas esse praeter causas primas etiam αἰτίας, οἵτινες ὑπ' ἄλλων μὲν κινουμένων, ἔτερα δὲ ἐξ ἀνάγκης κινούντων γίγνονται, δευτέρας, quae μονοθεῖσαι φρονήσεως τῷ τυχὸν ἀπακτον ἐκάστοτε ἐξεργάζονται. Atque antea quidem, ait noster philosophus, quum quasi notum esset, quid esset ignis et reliqua, sic de illis diceretur eaque mundi primordia constituerentur⁵⁾, satis fuit, eorum quae sunt genera ponere duo⁶⁾, alterum enim exemplarium, quod sub intelligentiam cadit semperque eodem se habet modo, alterum simulacrum, quod ortum habet et in cernendi cadit sensum, nunc vero⁷⁾ τὰν πρὸ τῆς οὐρανοῦ γενέσεως πυρὸς ὑδατός τε καὶ ἀέρος καὶ γῆς φύσιν θεατίον αὐτὴν καὶ τὰ πρὸ τούτου πάθον et⁸⁾ εἰ τις οὖν ἦ (mundus) γέγονε κατὰ ταῦτα ὅντας ἔρει, μικτὸν καὶ τὸ τῆς πλανημένης εἶδος αἰτίας, ἢ φέρειν πέφυκεν.

His de causis hoc χαλεπὸν καὶ ἀμυδρὸν εἴδος⁹⁾ quum describere instituat, primum dicit¹⁰⁾ πάσις εἶναι γενέσεως ὑποδοχὴν οἷον τιθῆντι idque ubi τὸ μὲν γιγνόμενον, τὸ δὲν ἦ γίγνεται, τὸ δὲν ἔσται ἀρμονιούμενον φύεται τὸ γιγνόμενον, haec tria eorum quae sunt genera distinxit¹¹⁾, matri comparat¹¹⁾: καὶ δὲ καὶ προσειπάσαι πρέπει τὸ μὲν δεχόμενον μητρί, τὸ δὲν πατρί, τὴν δὲ μεταξὺ τούτων φύσιν ἐκρόνω. Quod vero attinet ad rationem, quae intercedit inter elementa, quae antea principia dicebantur, atque τὸ δεχόμενον, ἀν τις ὄρθοτατα λέγοι, inquit Plato¹²⁾, πῦρ μὲν ἐκάστοτε αὐτοῦ τὸ πεπυρώμενον μέρος φαίνεται, τὸ δὲ οὐρανὸν ὑδωρ, γῆν δὲ καὶ ἀέρα, παθόστον ἀν μικράτα τούτων δέχεται. Deinde quum singula elementa non haec, sed talia semper nominare possimus¹³⁾, τὸ δεχόμενον sic vocandum censem¹⁴⁾ noster philosophus: εἰ δὲ ἐγγιγνόμενα ἀεὶ ἐκαστα αὐτῶν φαντάζεται καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπόλλυται, μόνον ἐκεῖνο αὐτὸν προσαγορεύει τῷ τε τοῦτο καὶ τῷ τόδε προσγραμμένους ὀνόματα, si quidem haec natura, quamvis¹⁵⁾ οὐρανομένη καὶ πυρομένη καὶ τὰς γῆς τε καὶ ἀέρος μορφὰς δεχομένη καὶ ὅτα ἄλλα τούτοις πάθη ἔχουσται πάτσουσα, tamen semper eadem manet¹⁶⁾: ταῦτα αὐτὴν ἀεὶ προερχέτον. Atque hoc similitudine quam affert dilucidius exponere conatur Plato¹⁷⁾: ut enim, εἰ πάντα τις σχῆματα πλάσαις ἐκ χρυσοῦ μηδὲν μεταπλάττων

1) cf. pg. 48a. — 2) cf. pg. 56c. — 3) cf. pg. 68e. — 4) cf. pg. 46d.e. — 5) cf. pg. 48b. —

6) cf. pg. 48e. sq. — 7) cf. pg. 48b. — 8) cf. pg. 48a. — 9) cf. pg. 49a. — 10) cf. ibid. —

11) cf. pg. 50c.d. — 12) cf. pg. 51b. — 13) cf. pg. 49d.e. — 14) cf. pg. 49e. sq. —

15) cf. pg. 52d. — 16) cf. pg. 50b. — 17) cf. pg. 50a.b.

παύοντο ἐκαστα εἰς ἀπαντα, δεικνύντος δὴ τίνος αὐτῶν ἐν καὶ ἑρμάνου τι ποτέστι, μωρῷ πρὸς ἀκήθειαν ἀσφαλέστατον εἶπεν ὅτι χρυσός, τὸ δὲ τρίγωνον ὅσα τε ἄλλα σχῆματα ἐνεγίγνετο, μηδέποτε λέγειν ταῦτα ὡς ὄντα, ἢ γε μεταξὺ τιθεμένου μεταπίπτει, sic¹⁾) hoc receptaculum δέχεται αἱ τὰ πάντα et ἐμμαχεῖσθεν φύσει παντὶ κεῖται, κινούμενόν τε καὶ διασχηματιζόμενόν ὑπὸ τῶν εἰςιόντων et φαίνεται διέκεινα ἄλλοτε ἄλλοτον, sed neque ἐκ τῇ ἔκυπριτε τὸ παράπαν οὐκ εἴσιται δυνάμεως nec μορφὴν οὐδέμιαν ποτὲ οὐδενὶ τῶν εἰςιόντων ὁμοίαν εἰληφεν οὐδαμῆ οὐδαμᾶς. Et ratione, qua elementa et hoc generationis vas conjunguntur, ita explicata accuratius illud depingere incipit Plato existimans²⁾, ὃς οὐκ ἂν ἄλλως, ἐκτυπώματος ἐσεῖδαι μελλοντος ιδεῖν ποιῆσιν πάσας ποικιλίας, τοῦτ' αὐτό, ἐν ᾧ ἐκτυπούμενον ἐνισταται, γένοιτάν παρεπεικόμενον εὖ, πλὴν ἀμορφοῦ ὡς ἐκείνων ἀπασῶν τῶν ιδεῖν, οἵσις μῆλοι δίχεσθαι ποθεν. Atque his verbis ut aliquam certe lucem adspergat, simile adjungit³⁾ hoc: καθάπερ οἷοι ἐν τισι τῶν μαλακῶν σχῆματα ἀπομάττειν ἐπιχειροῦσι, τὸ παράπαν σχῆμα οὐδὲν ἐνδῆλον ὑπάρχειν ἐᾶτι, προσμαλύνοντες δὲ οὗτοι λειτουτον ἀπεργάζονται, sic καὶ πάντοιν ἐπός εἰδῶν εἰναι χρεών τὸ τὰ πάντα ἐκδικόμενον ἐν αὐτῷ γένεται. Neque vero in his acquiescit Plato definiens id, quod generationi omni subjectum est, sed nova ei quaedam tribuit eo loco, quo quaecunque de eo hucusque allata sunt complectitur. Hujuscemodi enim fere sententiam profert⁴⁾: διὸ δὴ τὸν τοῦ γεγονότος ὄργανον καὶ πάντας αἰσθητούς ματέρας καὶ ὑποδοχὴν μήτε γῆν μήτε ἀέρα μήτε πῦρ μήτε ὕδωρ λέγομεν, μήτε οὐκ εἰ τούτων μήτε εἴς ὃν ταῦτα γέγονεν, ἀλλ' ἀνόρατον εἰδός τι καὶ ἀμορφον, πανδεχές, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοτοῦ καὶ δυσαλωτότατον. Quod vero hoc loco rationis, qua haec rerum species percipiatur animo, mentio fit, silentio praeterire non possumus eum̄locum⁵⁾, quo Plato dicens⁶⁾ ὃν τε καὶ χώραν καὶ γένεσιν εἴναι τρία τριχῆ καὶ πρὸν οὐρανὸν γενέσθαι, ad τὸ κατὰ ταῦτα εἶδος ἔχον, ἀγέννητον καὶ ἀνάλειμρον, οὔτε εἰς ἐκυτὸν εἰσδεχόμενον ἄλλο ἄλλοτε οὔτε αὐτὸς εἰς ἄλλο ποιεῖν, ἀόρατον δὲ καὶ ἄλλοις ἀνασθητον, τοῦτο δὲ νόσοις εἰληφεν ἐπισκοπεῖν adjicit τὸ ὄμώνυμον δημοιόν τε ἐκείνῳ δεύτερον, αἰπεῖτόν, γέννητον, πεφορημένον ἀσί, γηγόμενόν τε ἐν τινε τόποι καὶ πάλιν ἐκεῖθεν ἀπολλύμενον, διέξη μετ' αἰσθησεως περιληπτόν et tertium τῆς χώρας genus, φερόντι οὐ προσδεχόμενον, ἔδραν δὲ παρέχον οἵσα ἔχει γένεσιν πάσιν, αὐτὸς δὲ μετ' ἀνασθησίας ἀπὸν λογισμῷ τινι νόσῳ, μόγις πιστόν.

Cap. III.

Quae in Platonis altero rerum principio cognoscendo vim et auctoritatem habent maximam placitis omnibus quantum fieri potuit collectis ad rem ipsam

1) cf. pg. 50c. — 2) cf. pg. 50d. — 3) cf. pg. 50e. — 4) cf. pg. 51a,b. — 5) cf. pg. 51e. sq. — 6) cf. pg. 52d.

aggre diamur atque inquiramus, quo modo ipsum dijudicandum sit, ut veram atque sinceram Platonis sententiam et mentem penitus aperuisse videamur. Quae quaestio quod omnia moveri potest, id inde efficitur, quod cum universus ille dialogus, qui inscribitur Timaeus, continet sapientiam, quae minus est logicis definitionibus distincta et in partes suas divisa, tum maxime quod hoc principium quod ibi describitur, minus philosophica quam poëtica et mystica ratione explicatur a Platone. Atque quare ita egerit noster philosophus, ea est causa, quod veritus, ne principio illo, quo sibi opus esse probe scit, proposito fundamentum, in quo totum doctrinæ suæ aedificium est exstructum, subducatur, summo studio atque adeo anxie, quomodo rem aptis vocabulis designet, scrutari vocibusque, quae rem adaequent, clarioribus frustra quæsitis similia sectari exemplaque afferre cogitur. Atque hac ipsa de causa factum est, ut principii illius notio non modo jam pridem saepius in quaestionem vocaretur, sed etiam de ea virorum doctissimorum summae dubitationes et dissensiones excitarentur. Et si rem in universum spectamus, duae maxime eaeque sibi fere oppositae prolatae sunt sententiae et in duas, quicunque aliquo in numero habendi sunt viri, partes abierunt. Quarum alteram qui sectati sunt Stallbaumius¹⁾, Reinholdius²⁾, C. Fr. Hermannus³⁾, Brandisius⁴⁾ alii, aeternam materiam crassam secundum Platonem intelligi voluerunt, alteram vero qui secuti sunt, princeps omnium Boeckhius⁵⁾, Ritterus⁶⁾, Zellerus⁷⁾ materiam a terrena aliqua concretionem prorsus segregatam et sejunctam poni statuerunt. Restat, ut brevi Schellingii mentionem faciamus, qui primum ne Platonis, quae esset nimis ruditus altoque ingenio Platonico haud digna, materiae corporeae doctrinam tribuere cogeretur, Timaeum dialogum a Platone profectum esse praefracte negavit⁸⁾, deinde hanc conjecturam, quam Boeckhius doctissime luculentissimeque refutavit⁹⁾ justo celerius, ut Weissius opinatur, missam fecit¹⁰⁾, verum tamen opinionem de materia crassa ipsam firmissime retinuit. Quae quum ita sint, ad veram philosophi sententiam quam diligentissime enucleandam ita accedamus, ut in quibus Platonis decretis utraque, quam de materiae notione esse prolata modo diximus, sententia nitatur, afferamus atque quo jure id factum sit examinemus.

1) cf. prolegg. ad Tim. pg. 43. — 2) cf. hist. phil. P. I. pg. 125. — 3) cf. hist. phil. Plat. P. I. pg. 545. — 4) cf. hist. phil. Graeco-Roman. P. II. Sect. I. pg. 305. — 5) cf. de anima mundana in Timaeo Platonico in stud. ed. a Daubio et Creuzero P. III. pg. 1—95. — 6) cf. hist. phil. P. II. pg. 320. — 7) cf. phil. Graec. P. II. pg. 231. — 8) cf. Philosophie und Religion pg. 31. — 9) cf. dissert. supra I. p. 28. — 10) cf. Idee der Gottheit pg. 97. — 11) cf. de libert. hum. pg. 433.

Cap. III.

Ανάγκη θεούς τε καὶ θεύς επικαλουμένους εὔχεσθαι πάντα κατὰ νοῦν ἐκένοις μὲν μᾶλιστα,
ἐπομένως δὲ ημῖν εἰπεῖν. Tim. pg. 27 c.

Inveniuntur in dialogis, qui Philebi et Timaei nomine inscribuntur, placita, quibus illa de aeterna materia crassa opinio defendi posse permultis videtur, haec: primum in illo Plato id, quod omni generationi subjectum est, τοῦ ἀπειρού vocabulo, quo jam antiquitus rudem indigestamque corporum molem eamque aeternam esse adumbratam constat inter omnes, significat¹⁾ atque calidioris et frigidioris, siccioris et humidioris attributionibus aliisque explicat²⁾.

Deinde in principio Timaei deum legimus³⁾, quem ad mundum condendum accederet, quicquid sub oculorum adspectum cadebat quodque non tranquille quiescebat, sed temere fluctuabat, id comprehendisse atque ex perturbatione adduxisse ad ordinem. Atque quum circumspicimus, quid id sit, quod a rerum conditore ex inordinata jactatione radactum sit in ordinem, exinde haec esse quattuor elementa a Platone diserte significata invenimus. Affirmat enim, rerum auctorem, mundum efficere molientem, terram primum ignemque coniunxisse⁴⁾, deinde vero, quum duae res ad cohaerendum semper requirant tertium aliquid et quasi nodum vinculumque desiderent, solida vero omnia uno medio nunquam, duobus semper copulentur, inter ignem et terram posuisse⁵⁾ aquam aëremque atque ex his inter se comparatis et proportione conjunctis construxisse⁶⁾ corpus mundanum. Quin etiam ubi elementa jam dudum locum dederunt rerum materiae cuidam alii, hanc ad priorem sententiam revertitur Plato. Ubi enim, inquit⁷⁾, cuncta ad modum redigi placuit, mundi procreator ignem primo ac terram aëremque et aquam distinctis figuris, speciebus et numeris exornavit. Quacum sententia componere licet, quod quum, nisi casu aliquo, nihil particeps esset ordinis nec quidquam tunc aqua vel ignis vel aliud aliquid eo jure vocari posset, quo nunc apud nos nominatur, eo tempore optimum genitorem singulis primum et ad sese et ad alia invicem eatenus modum rationemque proportionis indidisse, quatenus suscipere singula possent, deinde ex iis hoc universum constituisse Plato narrat⁸⁾. Quae quum ita se habeant, crassam aliquam ac sensibus subjectam corporum materiam praecipue in principio illo Timaei Platonem statuisse quis est quin videat.

1) cf. pg. 16 c., 23 c., 26 c., 27 b., 30 a. — 2) cf. pg. 24 sq. — 3) cf. pg. 30 a. — 4) cf. pg. 31 b. — 5)
cf. 32 b. — 6) cf. pg. 32 b. c. — 7) cf. pg. 53 b. — 8) cf. pg. 69 b.

Verum etiam eandem esse aeteram sane non difficile erit intellectu. Etenim in iis omnibus, quae hucusque allata sunt, noster philosophus deum, quem fabricam mundi aggrederetur, quicquid oculis subjectum est vel quattuor elementa comprehendentem facit eumque omnia, quum certo ordine carerent, formis et numeris disjunxisse atque ad ordinem certamque legem duxisse prodit, sed tantum abest, ut id, quod sub oculorum adspectum cadit vel elementa a numine divino esse creata censeat ex ipsius natura, ut illa jam tum, quum ex discordia perducerentur ad concordiam, vestigia sui quaedam habuisse diserte affirmet¹⁾). Quodsi elementa, e quibus hanc rerum universitatem deus sapienti consilio composuit, quo tempore creationem est exorsus, eo jam aderant, eadem e Platonis mente ac sententia jam prius quam mundus formatus est exstiterunt atque posita est locis, quos attulimus, corporum materia, quae omnibus temporum vicibus intacta sit aeterna.

Denique in eodem sermone in elementorum locum succedit²⁾ receptaculum, quod dicitur, omnis generationis. Plato enim, postquam deum summa benignitate permotum hunc quem cernimus mundum construxisse finxit e quattuor illis elementis, in ea nunc sententia est, ut, quum quocunque videmus aliud atque aliud fieri, id non hoc, sed tale quippiam sit dicendum eamque ob causam elementa et ipsa non nisi certi modi materiae primitiae esse possint, rebus generatis subjectum aliquid esse oportere contendat, unde ipsa elementa existant, idque omnis generationis receptaculum esse vocandum. Cujus aeternitatem ut primum demonstrare conemur, Plato hanc novam rerum materiam ponit, propterea quod si non elementa, at tamen alia fuisse intelligit³⁾, quibus mundi opifex uteretur ministris, ut quoad fieri posset ideam ejus, quod esset optimum, perficeret. Quodsi elementa quattuor, e quibus deus mundi primordia constituit, rerum principia esse dicebantur, non minus aeternum erit, ut quocunque eorum loco principales rerum adjuvat causas, sic illud ipsum receptaculum. Atque id ut ponat cogitur, quod illa primarum causarum adminicula adeo necessaria erant, ut haec rerum universitas per necessitatem quamvis persuasione ductam et victam procreata⁴⁾, si minus, ex necessitatis mentisque coetu mixta⁵⁾ e Platonis mente sit judicanda, ita ut duo causarum genera distinguere nos deceat⁶⁾, unum quidem necessarium, alterum vero divinum. Quodsi hae causae servientes, quibus qui cuncta condidit, quum hoc universum generaret, utebatur subsidiis⁷⁾, ea de causa, quod ei necessariae erant, eadem aeternae sunt habendae, non temere ac

1) cf. pg. 53 b. — 2) cf. pg. 48 e. sq. — 3) cf. pg. 46 c. — 4) cf. pg. 48 a. — 5) cf. pg. 47 e. sq. —
6) cf. pg. 46 d. e., 68 e. — 7) cf. pg. 68 e.

perverse concludere videamur, si id ipsum, quod tamquam causa secundaria proponatur oportet, aeternum esse existimabimus.

Quum vero deinde decreta perscrutemur, quae crassum esse hoc receptaculum probare valeant, Plato ubi in eo est, ut hoc novum rerum principium substituat, nihil aliud diligentiori examini subjicere in animo habet, quam quattuor elementa. Et quamvis exquirienda¹⁾ jam sit, quum antea de elementis quasi de rebus notis sermo fieret²⁾, primitiva eorum vis et natura, generationem coeli praecedens, tamen vel ante mundum conditum, ad quod ipsum temporis spatium haec de eorum natura atque indole quaestio e Platonis sententia pertinebit, sui vestigia ostendisse elementa memoriae traduntur³⁾. Atque dum ejus, quod ceteris rebus subesse jam existimatur, naturam describit, tantummodo id vocatur⁴⁾ cuius ignis pars inflammata, aqua madefacta, terra quoque aërisque similiter quaedam sunt partes atque dicitur⁵⁾ inflammari et madefieri itemque terrae et aëris formas suscipere aliaque similia perpeti, denique id esse significatur⁶⁾, in quo fieri singula elementa videntur ac deinde dissolvi. Quin etiam postquam hoc rerum, ut ita dicam, substratum est propositum, Plato ad hanc de elementis quasi de rerum principiis sententiam, uti supra memoravimus, hic illic⁷⁾redit. Hue accedit, quod idem rerum principium comparatur cum materiis mollibus impressionique cedentibus⁸⁾ vel auri materiae⁹⁾ et ipsa materia appellatur¹⁰⁾ agitata iis, quae ingrediuntur, et figurata quodammodo: quo facto si quidem materiae molles, e quibus figurae formantur, cum matre, cui fetus vitam debet, atque aurum, e quo formae finguntur, cum nutrice, quae infantis vitam alit augetque, optime conferri possunt, quod hoc gignendi receptaculum cum matre¹¹⁾ et nutrice¹²⁾ a Platone componitur, etiam hinc ejus densitas videtur evinci posse. Idemque docent ea, quae huic rerum materiae tribuuntur. Etenim si quemadmodum cera poliatur, ut nulla omnino prior in ea figura appareat, exactissima quadam laevigatione, sic hoc vas eorum, quae generationi sunt obnoxia, informe esse et suapte natura omnibus, quas recepturum sit, formis carere vult¹³⁾ Plato, hoc decretum non minus intelligi potest de corpore sylva, quam si, ut ex auro figurae fingi atque materiis mollibus formae aliquae imprimi possunt, ita hoc generationis omnium gremium omnibus modis mutari posse dicit¹⁴⁾. Atque idem statuendum videtur, ubi ut omnibus figuris aureis forma quidem diversissimis hoc tamen commune inest, quod ex auro factae sunt atque

1) cf. pg. 48 b. — 2) cf. ibid. — 3) cf. pg. 53 b. — 4) cf. pg. 51 b. — 5) cf. pg. 52 d. — 6) cf. pg. 49 e. — 7) cf. pg. 53 b, 69 b. — 8) cf. pg. 50 c. — 9) cf. pg. 50 a, b. — 10) cf. pg. 50 c. — 11) cf. pg. 50 d. — 12) cf. pg. 49 a. — 13) cf. pg. 50 d, e. — 14) cf. pg. 50 c.

aurum in omnibus idem sibique par est, similiter id, quod omnia corpora suscipit, idem semper esse dicendum censem¹⁾), si quidem ex propria potentia recedit nunquam. Neque magis ratio, qua id, unde res generatae proditurae sunt, percipi animo vult Plato, sententiae, quam hucusque explicavimus, adversatur. Primum enim neque cognoscitur²⁾ mente neque sensibus percipitur, deinde divinae et intelligibilis naturae dicitur³⁾ particeps modo quodam ambiguo et maxime inexplicabili. Et sane rerum materia, quamcunque statuis, per se spectata non nisi adulterina ratiocinatione h. e. συλλογισμῷ ἀναλογίᾳ attingi potest eo, quo ex rerum generatarum conditionibus id, quod iis subjacet, assequi studemus. Verum etiam vero quod corporum materia esse significatur rerum species miro quodam modo ejus, quod sola mente conspicitur, particeps, id quamvis primo quidem adspectu non modo ab illo, quod modo diximus, Platonis placito, sed etiam ab omni omnino materiae notione discrepare videatur, fortasse de massa corpora explicari potest, quum rerum materia non solum sit per se consideranda, sed etiam referenda ad ideas, si quidem et ad res, quae nexu et cohaerentia cum ideis vim et naturam accipiunt, adspectabiles fingendas maxime erat necessaria et ideis, ubi res creari coepitae sunt, tanquam sedem, in qua illae exprimerentur, se offerebat.

Quodsi vera sunt, quae hucusque disputavimus, secundum Platonem id, quod subjectum est omnibus rebus generatis, sive infinitum vocatur, sive quattuor elementa ponuntur et generationis omnis receptaculum, est primitiva materia crassa, quae per infinitum inane fluctuans omni fere specie et qualitate careat vel si magis placet, infinitum inane materia aeterna refertum crassa, quae immoderata agitata nulladum forma sit distincta nullaque qualitate instructa. Quod tamen nonnulla Platonis placita, si ita statuimus, parum commode explicari possunt, id sane excusari poterit in rebus, in quibus totam orationem non tam ad ipsam rei veritatem demonstrandam, quam ad faciendam fidem sive similitudinem veri eruendam pertinere Plato ipse dicit⁴⁾). Atque haec est causa, cur Brandisius, quum refellere studeret argumentationem eorum, qui propterea quod cum omne Timaei argumentum fabulis mythicaque adumbratione pertractetur, tum vocabula, quae hanc ipsam, de qua agitur, notionem definiunt, magnam partem sint obscura premanturque difficultatibus fere inexplicabilibus aliisque de causis Platonis rerum materiam omnino esse non posse contendunt, in hac sententia, quae primitivam materiam crassam tuetur, persistenter. Disputationem enim suae finem imponens nonne, inquit⁵⁾), Plato mente informare potuit rerum

1) cf. pg. 50b. — 2) cf. pg. 52b. — 3) cf. pg. 51a.b. — 4) cf. pg. 29c,d. 48d. — 5) cf. hist. phil. graec. roman. P. II. S. I. pg. 305 sq.

materiam, quae si non aequa atque ideae pro se sola esse possit, at tamen, quamvis nunquam fere constans aut immutabilis perpetua vicissitudine agitata ex mentis divinae natura declarari nequeat, idearum nescio qua opera non modo aliquatenus existat, sed etiam re vera exstet tanquam forma, ad quam ipsae accedunt?

Cap. IV.

Θεὸν δὲ καὶ νῦν ἐπ' ἀρχῇ τῶν λεγομένων σωτῆρι εἴς ἀτόπου καὶ ἀκίνητος οὐκεῖσθαι πρός τὸ τῶν εἰκότων δόγμα διατάξειν ἡμᾶς ἐπικαλεσάμενοι πάλιν ἀρχώμεθα λέγεται. Tim. pg. 48 d.

Quamvis tantum absit, ut Platonis decreta, quae primitivam materiam crassam probare videntur, omnia quam diligentissime in iis, quae praecedunt, non congesserimus, ut uni alterive, ne praejudicatis opinionibus occoecati alieno judicio parum tribuere videremur, quasi vim intulerimus, tamen haec de mole corporea opinio nobis haud-quaquam extorquere potest assensionem, quod ad eam defendantam afferuntur alia, quae, si rem accurate consideramus, nihil minus quam eam sustentant, negliguntur alia, quae quantopere corporeae massae sempiternae ejusque doctrinae repugnant, jam infra videbimus.

Etenim primum ex Philebo dialogo ea de causa, quod ei, quod rebus generatis subest, nomen infiniti indatur¹⁾ atque hac voce corporeae materiae infinita moles ex antiquissimis temporibus significetur, sensibile rerum principium statuisse Platonem concludere conantes quaerere omittunt, num Plato etsi eodem vocabulo, quo superiores philosophi, usus est, idem atque illi describere voluerit. Deinde Timaeum dialogum in auxilium vocant eo cummaxime nisi, quod in ejus principio afferatur²⁾ rerum materia quaedam adspectabilis eaque seu quattuor elementa mundum in parandum ab optimo genitore consumantur³⁾. Neque minus id in rem suam convertunt, quod etiam, ubi postea elementorum vice materia quaedam alia fungitur, ex elementis mundi primordia constituantur⁴⁾. Verum hac in re id multum negotii creare mihi quidem videtur, quod hanc materiam sensibus subjectam summum deum, quem leges totius mundi conderet, sibi datam invenisse his locis Plato innuit, quem quidem eandem infra appellatam reperiamus⁵⁾ rerum speciem, quae cerni nequeat. Atque etiam plus dubitationis habet id, quod in mundo formando perficiendoque a

1) cf. pg. 16 c., 23 c., 26 c., 27 b., 30 a. — 2) cf. pg. 30 a. — 3) cf. pg. 30 a., 31 b., 32 b. c. — 4) cf. pg. 53 b., 69 b. — 5) cf. pg. 51 a. b.

deo comprehenduntur elementa quattuor, in quibus jam prius quam ea, quum immoderate fluctuarent, fabricator totius operis formis et numeris exornavit¹⁾ atque et ad se ipsa et ad cetera temperavit²⁾, formae suae ac qualitates latuisse absconditae dicuntur³⁾. Necesse est enim e Platonis sententia, ut id, in quo simulacula idearum omnium exprimenda sunt, ab initio informe sit et qualitatis expers⁴⁾. Quod vero quum in illis infinitae molis formis offenderent, hoc Platonis decretum de eo temporis articulo acceperunt, quo elementa singula a se invicem disjungi coepta sunt, profecto non est, cur reprehendamus nec tamen ex his similibusque locis ut de infinitae sylvae primitiva natura atque conditione quidquam possit erui, largiri possunus.

Jam vero ut concedamus, Platonem ubi ejus, quod cerni potest atque elementorum mentionem facit, statuisse massam corpoream, tamen aeterna esse non potest. Nam quum omnia, quae sensum movent eademque in opinione considunt, ortum habere generataque esse inculcat⁵⁾ Plato, inde necessitate quadam consequitur, ut id ipsum, quod oculis percipi potest atque elementa, denique corporea materia, qualiscunque est, quum genita sit, non sit aeterna, sed temporum rationibus implicita. Quod si diligenter teniemus, jam non difficile est ad evincendum, ne spectare quidem potuisse philosophum, ut ex rerum principio adspectabili hoc rerum universum formaret. Nam si corporum molem generationis fontem sumisset, ut genitum explicaret, id quod cui persuadeas vix inveneris, quum illa sit facta et procreata, attulisset genitum idemque per idem demonstrare studuisset. Quae quum ita sint, ut quaeramus restat, cur nihil secius molem corpoream in initio quidem Timaei dialogi attulerit Plato. Quam ad quaestionem responsionem paratam habemus eam ut dicimus, quae ibi legantur, ea ob mythicam, quam facile agnoscas, loquendi et docendi formam non tanti esse aestimanda, ut firma certaque doctrina superstru possit, vel potius ad rerum materiam ipsam, qualiscunque est, omnino non referenda. Quis enim est, qui quum penitus intellexerit, quantum Platonici ingenii sit acumen argumentandi, sibi persuadeat, nostrum philosophum sibi informasse mente nobisque serio proposuisse effectorem mundi, qui quum utrum esset praestantius diu secum considerasset, tum demum ad eam sententiam deveniret⁶⁾, ut putaret mundum omni ex parte quam perfectissimum atque absolutissimum praestantiorum esse rudi indigestaque corporum mole. Neque minus seria jocis miscuit Plato, qui optimum et praestantissimum mundi genitorem, quum jam fere omnes res singulares, quae hoc orbe continentur,

1) cf. pg. 53 b. — 2) cf. pg. 69 b. — 3) cf. pg. 53 b. — 4) cf. pg. 50 d. e. — 5) cf. pg. 28 b. c. —
6) cf. pg. 30 b.

effectae atque conformatae essent, demandantem facit¹⁾ diis inferioribus hoc negotii, ut, quae nondum facta sint, perficiant. At faciliore etiam opera nodum, ne longi simus, expedire poterimus, si omne illud dialogi principium missum fecerimus sententiam amplexi maxime probabilem Ritteri, qui quod ibi materia quaedam adspectabilis temere agitata postulatur, id placitum subtiliore²⁾ de subjecta materia disputatione a Platone ipso instituta retractari atque ut minus accuratum penitus tolli contendit.

Denique vero etiam illud omnis generationis receptaculum, quod in elementorum locum prodit³⁾ in Timaeo, corpoream molem aeternam agnoscebant. Atque id aeternum esse inde probare student, quod proponitur, quoniam genitor universi si non elementis, at aliis certe causis secundis utatur⁴⁾, quod vero, si elementa antea rerum principia dicantur, non minus quaelibet causa secundaria pro aeterna sit habenda. Idemque inde colligi posse judicant, quod afferri debeat receptaculum illud, quia illae causae adjuvantes in creando mundo tam necessariae sint⁵⁾, ut hujus mundi origo ex necessitatis et rationis coniunctione conflata⁶⁾ sit habenda vel potius deducenda ex necessitate persuasiōni sapienti subjecta⁷⁾, quod vero, si haec causarum principalium adminicula necessaria existimanda sint aeterna, id ipsum, quod Plato tamquam necessariam causam proferat in medium, temporis non particeps sit futurum. At de altera illa argumentandi ratione breviter monuisse sufficiat, aeternum, ut supra demonstravisse nobis videmur, dici posse e Platonis mente neque id quod cerni potest neque elementa nec denique corpoream rerum materiam. Deinde vero ex necessitatis, ad quam causae secundae revocantur, specie, quae his locis, quos attulimus, omnibus simpliciter ponitur neque ullo modo declaratur aut probatur, neque illas causas adjuvantes neque id, quod tamquam causa secunda proponitur, aeternum esse evinci posse perspicuum est omnibus.

Ut vero aggrediamur ad refellenda ea, quae afferuntur, ut crassum esse receptaculum illud exponatur, id per occasionem monitum sit, ex necessitate illa ejus, quod et qualemque omnibus generatis subjectum est, densitatem non magis posse probari, quam ideae, quum non vi aliqua actae, sed sua sponte finem, qui propositus est, aspectent et appetant, pro substantiis, quas vocant, sunt habendae. Deinde Plato ubi disquisitionem eam, ut hoc novum rerum quasi substratum ponat, instituere incipit, sane quidem nihil nisi elementa eaque ante mundum conditum in disceptationem vocanda censem⁸⁾ atque dum ponit, id esse significat⁹⁾, cuius elementa sint partes

1) cf. pg. 41a. sq. — 2) cf. pg. 48b. sq. — 3) cf. pg. 48c. — 4) cf. pg. 46c. d. — 5) cf. pg. 68e. sq. — 6) cf. pg. 47e. sq. — 7) cf. pg. 48a. — 8) cf. pg. 48b. — 9) cf. pg. 51b.

idque vocat¹⁾) quod elementorum formas sibi adsciverit mutationesque, quaecunque cum his conjuncta sunt, subierit idque denique appellat²⁾ in quo elementa orientur ac pereant, et postquam posuit, elementorum quasi rerum principiorum interdum mentionem facit. Quae quamquam concedenda sunt, tamen redisse nostrum philosophum disquisitione ad integrum revocata ad illam, quam ipse ultro deseruit, sententiam, ubi animadverterimus, quot et quantis, quum in dialogi principio probaret materiam crassam, difficultatibus implicaretur, verisimile videbitur non nisi eis, qui hac tota in re proficiscuntur a sumtione falsa ut putent, Platonem eadem utique in sententia fuisse, in qua sunt nostros philosophos, qui id, quod subjectum est omnibus, intelligunt, quae certa aliqua forma et qualitate gaudet, rudem indigestamque molem. Adde quod Plato ubi generationis receptaculum id esse vult, in quo elementa nascuntur rursusque istinc evanescunt, nihil minus quam de crassa rerum materia cogitavit. Nam si ita loquitur atque si omnino id, quod fit, id, in quo fit idque, ad ejus similitudinem, quae fiunt, omnia componuntur, distinguit³⁾, allatum quidem est aliquid, in quo res singulae nasci possunt, verum quum id, in quo fit, nullo modo esse possit id, ex quo fit, sane desideratur aliquid, ex quo res corporeae conformantur et de rerum aliqua materia crassa, ex qua quaecunque oculis usurpamus, finguntur et exprimuntur, his locis non magis sermo est, quam iis locis, ubi generationis omnium rerum gremium nutriti⁴⁾ vel matri⁵⁾ id, unde recipitur, patri, id, quod fit, soboli quasi cuidam comparat, ex quo facile perspicitur, quo quum noster philosophus idem conferat cum auro⁶⁾ mollibusque materiis⁷⁾ id delegandum sit. Quod vero attinet ad ea, quae ei, quod omnia in se recipit, tribuuntur a Platone quaeque quod cum rerum materiae crassae notione bene consentire videantur, et ipsa densitatem ejus affirmare dicuntur, alia placita quantopere notioni illi adversentur, jam vidimus, alia vero, quae quis jure quodam huc spectare arbitretur, incertum est an rectius accipientur de rerum materia prorsus alia. Ut enim exemplum afferamus, illud Platonis decretum, quo affirmat, corporum sylvam ejus, quod sola mente ac ratione intelligitur, esse partipem⁸⁾, quo modo explanare molirentur supra diximus. Illud vero praedicatum, quod iis, quae id earum arctissima connexione cum rerum materia nascuntur et oriuntur, nullo nomine adjici potest, ita ut multo minus in id ipsum, quod densitate praeditum generationi subjectum esse putant, transferri posse videatur, de materia quadam alia suam explicationem, cuius infra mentio fiat, habebit nullo

1) cf. pg. 52 d. — 2) cf. pg. 49 e. — 3) cf. pg. 50 c. d. — 4) cf. pg. 49 a. — 5) cf. pg. 50 d. — 6) cf. pg. 50 a. b. — 7) cf. pg. 50 e. — 8) cf. pg. 51 a. b.

negotio. Itaque eorum, quae exposuimus, summam quum facimus, Plato ubi id, quod cerni potest atque quatuor elementa tamquam rerum principium alterum idearum mundo è regione collocat, conatus quidem est corpoream massam statuere, verum quid officeret quum intellexisset, sententiam mutavit nequeullo modo generationis receptaculo in iis, quae sequuntur, posito ad priorem rediit.

Cap. V.

Opinio illa, quae vulgo habetur, aeternam materiam crassam statuisse Platonem, quum ferenda non sit, rerum quae mente sola cernitur materiam, quae nihil habeat commune cum massae corporeae densitate, ei esse tribuendum conjicere jam possumus. Neque conjectura ulla opus est, quum quidem Aristoteles Platonis rerum materiam esse non corpoream affirmet¹⁾ atque τὴν ὀντηπίην ab eodem nomen inditum fuisse μέρη καὶ μερόν afferat²⁾. Deinde vero Plato quum, quae sedem offerat omni generationi, speciem rerum tertiam, quae nullo sensu percepta intelligatur adulterina quadam ratione, vocet³⁾ infinitum inane, eo nos ipse certiores facit, quae sit illa, quam statuimus, materia quae mente cernitur. Itaque nihil relinquitur nisi hoc ut demonstretur, in tota, quae de prima materia in Timaeo instituitur, disquisitione nihil aliud egisse Platonem, quam ut rerum principium alterum proponeret spatium inane.

Quod priusquam probare incipimus, silentio praeterire non possumus, fuisse qui vel principio illo posito illam de mole corporea opinionem retinere studerent. Quum enim Aristoteles Platonis rerum materiam et infinitum inane idem esse diserte testetur⁴⁾, illam de crassa materia sententiam ea de causa, quod Plato postea tamquam primarium generationis fontem exhibeat⁵⁾ inane, non modo non refelli, sed etiam, quod inane tum nunquam interire, sed omnibus quae gignuntur sedem praebere⁶⁾, tum una cum eo, quod est, et generatione prius fuisse⁷⁾ tradatur, quam mundus conderetur, atque hoc modo temporis esse particeps pluribus locis negetur, inde corporum sylvam aeternam probari posse censem. Ut vero mittamus eos, qui ita judicent, decretis, quae de Platonis prima materia ab Aristotelé afferuntur, potuisse dedoceri multis aliis, quae non nisi ad materiam quandam, quae mente intelligitur,

1) cf. Metaph. I., 7, 988 a. 25. — 2) cf. Metaph. I., 6, 988 a. 10. Phys. IV., 2, 210. — 3) cf. Tim. pg. 52 b. — 4) cf. Phys. 2, 209 b. 5. — 5) cf. Tim. pg. 52 b. — 6) cf. ibid. — 7) cf. pg. 52 d.

spectant, ne satis quidem considerarunt argumentandi rationem, qua usus Stagirites hanc in sententiam devenerat falsam. Proponitur enim in Timaeo dialogo primum¹⁾ corporeae materiae infinita moles, deinde²⁾ vas quoddam eorum, quae generationi sunt subjecta, denique³⁾ inane. Aristoteles vero quum vas illud, quod Plato, ut infra ostendetur, profecto infinitum inane haberi vult, intellexisset rerum principium quod sensibus percipitur idque ea de causa non modo novo vocabulo nuncupasset, sed etiam praedicationes, quae in illam convenient, fere omnes in idem transtulisset, in eam, quam memoravimus, opinionem falsam abiit, ita ut parens jure dici possit illius de crassa Platonicis materia sententiae. Quodsi Aristoteles ita versatus est in errore, ratio eorum, qui ex ejus placito haec illa concludunt, et ipsa concidit. Accedit quod spatii ipsius aeternitas, cuius particeps est⁴⁾ generatio, utpote quae sit non absoluta, sed cum ipso tempore nata tam parum valet, ut hoc loco aliquisque, ubi mentio fit aut spatii aut materiae sine mensura agitatae ante hunc mundum conditum tamquam rerum principii, nihil nisi id inculcari videatur, rerum ortum esse repetendum e spatio et tempore, quae sint conditiones necessariae, sub quibus res terrestres extiterint finitae certisque qualitatibus evaserint praeditae.

Jam vero evagatam vel interruptam orationem in viam revocemus atque ostendamus, Platonis ubivis spatium tamquam quae mente cernitur rerum materiam neque eam, ut modo demonstravimus, aeternam sibi informasse mente. Primum enim Plato in Philebo dialogo memorat⁵⁾ infinitum. Atque id pro generationis gremio ipso ex Platonica sententia esse habendum, certissimo id constat testimonio Aristotelis, qui Platonem tradit⁶⁾ cum philosophis superioribus in eo quidem consentire, quod sumnum rerum principium dicat infinitum, dissentire vero, quod idem non pro principii cuiusvis, quod oculis cernitur, praedicato, id quod illi fecerant, ponat, sed ipsum rerum principium existimet. Verum etiam Platonem quum hoc infiniti rerum initium afferret, nihil nisi de spatio infinito cogitasse, id jam apertum esse arbitramur. Spatium est illud infinitum, quod celerius et tardius, longius et brevius in se recipit idque, quod nimis est, admittit⁷⁾ idemque propterea quod est infinitum needum certas formas, species rationesque suscepit, appellari potest⁸⁾ rerum species, quae ne sub oculorum quidem conspectum cadat quaeque nec mente intelligatur nec sensibus percipiatur, sed tantummodo adulterina quadam ratiocinatione attingatur. Est⁹⁾

1) cf. pg. 30a., 31b., 32b.c. — 2) cf. pg. 49a. — 3) cf. pg. 52b. — 4) cf. pg. 52d. — 5) cf. Phil. pg. 116c, 29c., 26c., 27b., 30a. — 6) cf. Phys. III, 4, 203. — 7) cf. Phil. pg. 24 seq. — 8) cf. Tim. pg. 52b. — 9) cf. pg. 51a.b.

quidem locus, ubi Plato idem hoc rerum tertium genus quamvis inexplicabili quadam ratione particeps ejus, quod sola conspicitur mente, vocavit, at tamen hoc placitum, quod mirum quantum ab illo, quod modo attulimus, differt, multo magis cum spatio inani, quod cogitatione quadam amplecti non possumus, nisi a singulis rebus, quas sensibus usurpamus, per spatium extensis mentem abstrahimus, quam cum crassae concretionis notione facere videtur. Quod si quis non concedat ac dubitationes, quae antea exstiterunt, etiamnunc possint moveri, hanc Platonis sententiam, quod vocabula non suppetebant, quibus quo modo materiae moles a nobis cognosci posset, recte significaretur, admodum obscuram in medio relinquere optimum ducemus.

Deinde in principio quidem Timaci dialogi sane id, quod oculis cerni potest vel quattuor elementa tamquam summa et extrema rerum principia statuit¹⁾ Plato. Verum quam eo consilio pertractat disquisitionem simulatque ad finem perduxit²⁾ et in locum materiae sine mensura agitatae successit³⁾ ἡ δέσμην, cuius partes vocantur⁴⁾ elementa, quae in ea fiunt, per continuas perpetuasque vices alterum in alterum mutantur, denique pereunt⁵⁾, non modo elementa, sed etiam singula corpora, ubi de eorum origine quaestio est, revocantur⁶⁾ ad spatii rationes. Ut enim quattuor elementis certae figurae ac formae assignantur eademque his ipsis formis, qua in re Plato suam rationem cum Philolai decretis in unum conjunxisse videtur, minime vero ita ut formae illae rerum materia quadam crassa impleantur, propriam vim ac naturam accepisse dicuntur, sic corpora singula ipsis ex planis componuntur ac deinde dissolvuntur neque unquam superficiebus tantum circumscripta et inclusa ex materiae infinitae mole prodeunt.

Denique si id, quod rebus creatis subest, omnis generationis receptaculum dicit⁷⁾ Plato, dubitari non potest, quin et id ipsum existimari voluerit spatium inane. Spatium enim solum est illa rerum species oculorum sensum effugiens, quae omnem generationem in se recipit⁸⁾ eamque ob causam cum nutrice⁹⁾ vel potius cum matre¹⁰⁾ contendit potest atque adeo comparationem auri¹¹⁾ materiarumque mollium¹²⁾ sustinet. Spatium solum est rerum genus, quod, dum cerni nequit, omnibus quae nascuntur, sedem praebet quodque ut materiae molles, ex quibus figurae expressuri sumus, antea nobis expoliendae sunt et quam laevissimae efficiendae, sic priusquam omnes suscipiat formas, omni specie caret¹³⁾ et qualitate, quod tamen ut aurum, cui figurae

1) cf. pg. 30 a., 31 b., 32 b. c. — 2) cf. pg. 48 a. — 3) cf. pg. 49 a. — 4) cf. pg. 51 b., 52 d. — 5) cf. pg. 49 c. — 6) cf. pg. 53 c. sq. — 7) cf. pg. 49 a. — 8) cf. pg. 51 a. — 9) cf. pg. 49 a. — 10) cf. pg. 50 d., 51 a. — 11) cf. pg. 50 a. b. — 12) cf. pg. 50 c. — 13) cf. pg. 50 d. e., 51 a.

imprimuntur, mutationes subit, sic dum omnia corpora in se complectitur, alias aliter se habere videtur¹⁾, quod denique ut mater ubi concepit, tamen eadem manet, sic postquam omnes rerum species in se recepit, semper idem esse dicendum est²⁾. Summa igitur eorum, quae hucusque disputata sunt, fere ad haec redit: Platonis id, quod omnibus rebus subjacet, non est corporeae materiae infinita moles, quippe quae neque ex libris Platonis, quos habemus superstites, neque aliunde probari possit, sed, id quod et in legendis ejus scriptis facilis negotio agnoscas et sat certis Aristotelis testimoniorum est traditum, materia massae terrenae impar, quae mente cernitur, inane infinitum.

Ne vero cum sic statuisse Platonem contendamus, alienam ei opinionem obtrusisse videamur, causam nostram etiam sic agemus, ut ex ejus omni cogitandi sentiendique ratione aliter, ac de rerum materia sensit, sentire non potuisse eum evincere studeamus. Etenim Plato quum res creatas cum ideis vinculo ex ipsarum natura petito, ut jam supra vidimus, copulare non possit, sed ut quomodo res signantur et exstant explicit, praeter ideas alterum rerum principium ponere cogatur, haud dubie totum fere Platonis sistema, quod hodie appellare solent, corruere quidem instat. Verum tamen quaestio fit, utrum rerum principium, ut aedificii illius putridi ruinam si non prorsus impediret, at tamen differret atque infirmaret, praferre debuerit Plato, molem corpoream an infinitum inane.

Quod ut exploremus, quum primum rationem contemplemur, quae intercedit inter ideas et rerum materiam, hanc esse τὸ μὴ οὐ, quod simpliciter non est, Platonis contendendum fuisse videtur, quum ideis solis, ut saepenumero significavit³⁾, contineatur id, quod vere esse dicitur. Eumque hac in sententia fuisse, id non modo certissimo constat Aristotelis testimonio, sed etiam ipsius decretis. Ille enim Platonem dicit⁴⁾ rerum materiam, quae sibi ipsi τὸ μὴ οὐ esset κατὰ συμβεβηκός, simpliciter intellexisse τὸ μὴ οὐ idque quod sibi ipsi fere idem esset, quod στέρησον vocaret, habuisse pro peculiari ac propria materiae vi ac natura. Atque secundum Platonem ideae solae re vera sunt et quae sunt earum simulacra, res nobis circumdatae, ea tantum ratione, qua necessitudinem habent cum ideis, esse dicendae sunt⁵⁾. Quodsi quatenus res adspectabiles non esse⁶⁾ judicantur, id crimini dederimus rerum materiae, qua ideae repraesentantur, eamque per se spectatam simpliciter pro τῷ μὴ οὐ habuerimus, probabiliter conclusisse nobis videbimus. Quae quum ita sint, sequitur, ut Plato

1) cf. pg. 50 c. — 2) cf. pg. 50 b. — 3) cf. pg. 27 d. — 4) Phys. I., 9, 192. — 5) cf. de rep. 5, 479 b.
Parm. p. 129 a., 130 b. — 6) cf. de rep. 5, 477 a, 10, 597 a.

tamquam alterum rerum principium optime quidem afferre potuerit infinitum inane, neutiquam vero aeternam materiam crassam. Etenim massae corporeae, quae aequa aeterna esset atque ideae, Platonem tribuere oportebat quod attinet ad ejus naturam, veram essentiam et quod ad cognoscendi rationem, si quidem rerum indoles semper comparari solet cum nostra animi perceptione, certam firmamque, quae ~~similitudinem~~ vocatur, scientiam. Inane contra infinitum est τὸ μὴ ὄν, quod simpliciter non est. Nam si rationem, qua illud a nobis percipi vult Plato, consideramus, neque animo id cerni aut ratione intelligi neque sub sensum cadere perceptionem, sed adulterina tantum ratiocinatione quadam attingi docet¹⁾. Quum vero ideae, quae sola mentis vi et cogitatione comprehenduntur, omnem essentiam complectantur et res nobis circumjectae, quae sensuum ope percipiuntur, non minus videri quam esse dicantur et id, quod nullo modo cognosci potest²⁾ simpliciter non sit, consequens esse videtur, ut infinitum inane, quod adulterina tantum ratiocinatione intelligi traditur a Platone, existimandum sit τὸ μὴ ὄν, quod omnino non est.

Deinde necessitudinem, qua ideae et res conjunguntur, quum consideramus, primum si primitiva materia crassa tamquam id, quod rebus genitis subest, sumi posset, tamen earum inde ortus atque emanatio plane perfecteque non posset declarari, quum quidem qua causa ductae ideae, a quibus omnem terrenae alicujus concretionis cogitationem segregavit et sejunxit Plato, hac cum mole corporea sese misceant eamque in suas formas trahere gestiant, vix dici possit. Accedit quod aeternam materiam crassam, quae ideis sit opposita, quum mente informare, ut vidimus, nequeamus, hac de causa ne id quidem perspicuum est, quo modo hoc rerum universum idealium mundo oppositum re vera exstare possit. Alia vero ratio est spatial inanis, quod est τὸ μὴ ὄν, tamquam rerum principii positi. Quod si ponitur, res mutabiles existere posse atque apparere ideis e regione collocatas, id saltem cogitatione sane comprehendimus. Cujus rei haec est causa. Quum hujus rerum materiae vis ac natura in eo tantum modo cernatur, ut ideae ~~visio~~, quae temporis comparationem non sustinet neque ullam habet mutationem aut vicissitudinem, aeternae constantiam non conservent, ut ~~visio~~, quae omni motu genere vacans in se conquiescit, sui semper similis aequabilitatem non obtineant, ut ~~visio~~, quae partium cohaerentia est libera atque immunis et omnem formam, modum, legem, conditionem aspernatur, individuae atque infinitae simplicitatem et unitatem non tueantur, quum denique hujus rerum materiae id proprium sit, ut idealium ~~visio~~ non

1) cf. Tim. pg. 51c. sq. — 2) cf. de rep. 5, 477a., 478c. 6. pg. 6b. 10 (3) — 606F, 607F, 610F, 612F, 613F (1)

nisi infirmetur quodammodo atque minuatur et dividatur, minime vero praeter ideas et res sensibus subjectas quidquam tertii desideretur, hac igitur de causa idearum et res adspectabiles, quum *oīsīz* in iis una eademque fere sit, re vera inter se non differunt. Atque res corporeae quomodo praeter ideas extare possent, ut probaret Plato, in eo ipso gravissima erat causa, cur crassis superiorum philosophorum rerum principiis neglectis rerum materiam proponeret liberam ab omni corporea labe et contagione. Nam res singulæ quomodo in idearum communionem perveniant earumque participes fiant, denique earum originem posita hæc infiniti inanis materia, quæ mente cernitur, nimirum non magis intelligimus, quam quum sumus in altera de crassa rerum materia Platonica opinione, propterea quod ad liquidum non perducitur, cur ideæ aeternæ temporum rationibus implicentur mutationisque fluctuationi sese objiciant, cur sibi ipsis fiant dissimiles diversitatemque in se admittant maximam, cur multitudinis varietatem tendentes id, quod plus minusve est et nimis, in se recipient certisque omnino qualitatibus evadant finitæ, cur denique hanc eum *τῷ μὴ ὥντι* societatem neant.

A. Epitome und Difficultaten.

I. Epitome. Difficultaten: in G. Diderot's De Dialectice.

in G. Diderot's De Dialectice.

1) *Difficultate: a) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
2) *Difficultate: b) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
3) *Difficultate: c) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
4) *Difficultate: d) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
5) *Difficultate: e) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
6) *Difficultate: f) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
7) *Difficultate: g) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
8) *Difficultate: h) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
9) *Difficultate: i) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
10) *Difficultate: j) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
11) *Difficultate: k) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
12) *Difficultate: l) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
13) *Difficultate: m) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
14) *Difficultate: n) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
15) *Difficultate: o) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
16) *Difficultate: p) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
17) *Difficultate: q) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
18) *Difficultate: r) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
19) *Difficultate: s) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
20) *Difficultate: t) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
21) *Difficultate: u) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
22) *Difficultate: v) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
23) *Difficultate: w) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
24) *Difficultate: x) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
25) *Difficultate: y) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*
26) *Difficultate: z) Geographia: G. Diderot: De Dialectice*